



# BANQUE COMMUNE D'ÉPREUVES

CONCOURS D'ADMISSION DE 2009

Concepteur : ESSEC

**OPTION LETTRES ET SCIENCES HUMAINES**

**TROISIÈME LANGUE**

**VERSION LATINE**

Durée : 4 heures

Mercredi 6 mai de 14h à 18h

Le métier de courtisane

Le jeune Diabole (DI.) plumé par Cléérète (CL.) et sa fille dont il est l'amant, trouve désormais porte close...

- DI. Aliam nunc mihi orationem despoliatio praedicas.  
Longe aliam, inquam, praebes nunc atque olim quom dabam,  
aliam atque olim, quom inliciebas me ad te blande ac benedice.  
Tum mihi aedes quoque arridebant, cum ad te ueniebam, tuae.  
5 Me unice unum ex omnibus te atque illam (1) amare aibas mihi.  
Ubi quid dederam, quasi columbae pulli, in ore ambae meo  
usque eratis (2) ; meo de studio studia erant uostra omnia.  
Usque adhaerebatis ; quod ego iusseram, quod uolueram,  
faciebatis ; quod nolebam ac uotueram, de industria  
10 fugiebatis neque conari id facere audebatis prius.  
Nunc neque quid uelim neque nolim facitis magni, pessumae !
- CL. Non tu scis ? hic noster quaestus aucupi simillimust.  
Auceps quando concinnauit aream, offundit cibum.  
Aues adsuescunt : necesse est facere sumptum qui quaerit lucrum.  
15 Saepe edunt ; semel si sunt captae, rem soluunt aucupi.  
Itidem hic apud nos : aedes nobis area est, auceps sum ego,  
esca est meretrix, lectus inlex est, amatores aues.  
Bene salutando consuescunt, compellando blanditer,  
osculando, oratione uinnula, uenustula.  
20 Si papillam pertractauit, haud id est ab re aucupis.  
Sauium si sumpsit, sumere eum licet sine retibus.  
Haecine (3) te esse oblitum, in ludo qui fuisti tam diu !

PLAUTE

- Notes : 1) illam : désigne Philénie, la fille de Cléérète  
2) in ore... meo... eratis : sens concret : *vous me bécotiez*  
3) Haecine = haec + ne

- \* RAPPEL : L'utilisation de toute calculatrice et de tout matériel électronique est interdite.  
\* Seul document autorisé : un dictionnaire latin-français BORNECQUE, GAFFIOT, GOELZER ou QUICHERAT.